

videt hic describi perniciem, ut ea totum genus humanum, figillatim totum populum Israeliticum, si vel instar arenae maris sit, consumere ob absolutam DEI justitiam deberet. Per τὸ λόγον συντελεῖν itaque intelligit divus Vir ipsam damnatoriam sententiam de pernicie totius generis humani, quae sequeretur, nisi DEVS faceret λόγον συντεταμημένον in tota terra ad justitiam, & media ordinavisset ad salutem, ut equidem ex intentione DEI omnes in universum salvarentur, propter contumaciam vero reliquorum salus ad reliquias, id est, constanter fideles, derivaretur. Et sic verba ejus rite fluunt: Denn es wird ein Verderben (propter in justitiam totius generis humani) und Steuren geschehen zur Gerechtigkeit / (inhibitio nempe universalis pernicipi per redemptionem & Justitiam Christi) und der Herr wird dasselbe Steuren thun auf Erden / (id est per totum orbem publicabit sententiam Evangelii.) Quae interpretatio Lutheri fundatur in sequenti versu: ubi dicit Esaias: Wenn uns nicht der Herr Zebaoth hätte lassen Saamen überbleiben / so wäret wir wie Sodoma worden / und gleichwie Gomorrha. (id est, πανολετρία totum genus humanum perdidisset & in damnationem detrusisset. Discrimen itaque in eo saltem consistit quod τὸν λόγον de objecto specifico nimirum de reatu seu pernicipi in quem totum genus humanum conjectum deprehenditur, exponat, dum interea λόγος potius ipsam ratiocinationem de illo objecto & massa perditionis, ex qua reliquiae salventur, exprimere ac denotare videatur. Rem ipsam adeo ponit optimus inter optimos Interpres, tamen non schema attenderit, quod sub his locutionibus deprehenditur, utpote quae ratiocinium DEI & computandi indolem nobis accurate ob oculos sistunt.

XXI.

Turbant vero hunc DEI *computum*, quicumque *absolutum*